

05 A 453

05

A

453



V

L
SS
lon

D

M



I. N. J.
DISPUTATIO PHILOLOGICO-THEOLOGICA,
DE
VERA PIETATE
Ejusdemq; PROMISSIONE,

Ex I. TIM. IV. v. 7. & 8.

Quam
PRÆSIDE

Rectore Academiae Magnifico,
*VIRO Summè Reverendo, Amplissimo atq;
Excellentissimo,*

DN. JOH: Deutſchmann /
SS. Theol. Doct. Ejusdemq; Prof. Publ. Prim.
longè celeberrimo, Theol. Fac. SENIORE, maximè Vene-
rando, & Alumn. Elect. EPHORO Gravisimo.

*DN. PATRONO, PRAECEPTORE, Hospite ac Studio-
rum suorum PROMOTORE, obsequiosissimo cultu
atq; devenerando,*

Publicæ Eruditorum συζητήσεως subjiciet,
Ad diem IV. Novemb. An. MDCXCII.

IN AUDITORIO MAJORI,
AUCTOR

M. CHRISTOPHORUS HEINSIUS,
Numburgô ad Salam.

WITTENBERGÆ, prelô JO. WILCKII.

DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
VERA PIETATE
Ejusdem Commissione
PRÆSIDE
Rectore Academiae Magistro
VIRGILIO
LONICCI
22. Theol. Doct. Equid. Prof. Publ. Prim.
longe celebratio. Th. Maximo V. etc.
tando & Alumnice PHORO Gravissim.
DA P. Maximo, Maximo & Hoppe ac Studio
Magistro & ROMOTOE, obsequissimum cultus
Publice Euditionis & Scholæ subje. et
M. DC. XCII.
M. CHRISTOPHORUS HEINRICHUS
Nimburgæ ad Sala.



05 A 453

WITTEBERG, gedr. in WITTEBERG.



AD CLARISSIMUM ET PEREXIMIUM
DN. M. CHRISTOPHORUM HEINSIUM,
DE VERA PIETATE,
PUBLICE CUM LAUDE
DISPUTANTEM.

Pietas optimum DEI donum, & maximum
Hominiis lucrum est. Vera certe Christiano-
rum Pietas, non hominum inventum, nec hu-
manum studium, aut exercitium est. Excelsiores
natales Excelsa pietas requirit. Cælestis Patris
Filia, Sapientiæ divinæ proles, & Spiritus Sancti
nobilissimus Fœtus est. Pater in cælis Pietatis,
Deus est, Mater in terris Ecclesia. Hæc ad pieta-
tem suos mysticos destinat filios. Verbum quoq;
DEI mysticus Pietatis Pater est, qui pietatem in
cordibus fidelibus generat; & vera fides mater
ejus spiritualis, quæ per Verbum Pietatem intra
mysticum uterum concipit, & occasione data per
omnem vitam in externis, dictis atq; factis parit.
Sic igitur Pietas optimum Dei donum. Neq; mi-
nus recte dicitur, quod Pietas maximum sit Ho-
minis lucrum. Lucratur homo sua pietate cælum,
& terram, imò Deum ipsum, & cum DEO pariter
omnia, quæ DEI sunt. DEUM qui tenet, omnia
bona possidet. Nec enim Deus unquam sine bo-

no datur, neq; bonum ullum sine Deo datur. Omne
bonum, in quantum à DEO, vere bonum atqve lu-
crum nostrum est. Optimam igitur, CLARISSI-
ME DN. MAGISTER, eligis partem, dum tibi
propriam facis pietatem. Sit illa Tibi *lucrum*. Sic
Deus ipse tuum *lucrum*. Et hic *lucra* det in præ-
senti tuis *studiis*, olim autem tuis *laboribus lucra*
densissima cælitus concedat, ut multum in *Ecclē-*
sia, per Dei gratiam, *fructum* facere queas! Hæc
Votorum meorum *summa*. Sit Deus in his A. & Ω!
Vale! Witteb. d. XXVII. Octobr. An. M. DC. XCII.

JOHANNES Deutschmann / D.
p. t. Acad. Rector.



W Er mit der Gottes-Furcht sich in der Zeit ver-
lobet /

W Der achtet dieses nicht wenn selbst der Teuffel
tobet /

Und wenn gleich herbe Lust JHM durch die Seele dringt /
So siehet man doch nicht / daß es den Muht verschlingt.

Denn reine Gottes-Furcht pflegt schönes Glück zu bauen /
Den Anschlag heist Sie stets den guten Ausschlag schauet /
Dem steth Sie dennoch bey wenn selbst der Teuffel tobt /
Der sich zu jeder Zeit genau mit Jhr verlobt.

Dieses schrieben in aller Eil zum Ruhm /
Dem Herrn AUTORI als ihrem wehr-
ten Freunde und Tischgenossen

Ihro Magnif. des Hn. D. Deutschmanns
Sämtliche Tischgenossen.





IN NOMINE JESU!

Lhaetem Milesium interrogatum, num lateret Deos homo male agens, respondisse *ἀλλ' ἔδὲ διανούμενος*, i. e. ne cogitans quidem, memoriae prodidit Diogenes Laërtius in ejus vita, quod effatum, si, remotis Ethnicorum Deastris, de vero & uno Deo intelligimus, tam verum, quam quod verissimum offendimus. Cognitas enim & compertas habet summus & omniscius ille *καρδιογνώστης*, ut operationes hominum quorumvis, ita quoque cogitationes. Solus ille est, qui cogitationes nostras intelligit è longinquo, quod confessum in Psal. 139. Davidis legimus. De isto unico affirmare tenemur, quod ingenii doctrinaeque princeps, totiusque Græciæ facile doctissimus Plato posteritati reliquit, quod nimirum Deus *ἔπαράγεται ὑπὸ δώρων ὡς τοκιστὴς, ἀλλ' ὑποβλέπει πρὸς τὴν ψυχὴν, εἰάν τις ὀσίος καὶ δίκαιος ὢν τυγχάνῃ.* Ac proinde summo necessarium est opere, ut & verba & facta, & cogitata nostra ab omni ὑποκρι-

A

σει

σὴν sejuncta, nil nisi veram ac omni fūco destitu-
 tam pietatem spirent. Mūndus enim hic *mare*
 est plenum malitiæ & miseriarum, *littus* ex quo
 solvimus in altum, *nativitas* nostra verè dici po-
 test, cum *portus* ad quem tendimus sit *vita eter-*
na; *Nauta Christus* est, quem in vitâ hâc sequimur,
 vel potius sequi debemus, & *Anchora*, qua niti-
 mur *vera fides* est, & *Christiana religio*. Mediis
 itaq; opus habemus, quibus cursum nostrum eò
 feliciorē reddere, ac tandem aliquando por-
 tum tenere queamus, quæ veram *pietatem* esse,
 nemo facile negabit. Quantus enim ex *verò*
pietismo hauriatur fructus vel dictum illud Pauli-
 num *1. Tim. IV. v. 7. & 8.* confirmat, quod ut eò me-
 liùs cognoscere possimus, declarare istud paulo
 latiùs tribus punctis, Philologico nempe, Didacti-
 co & tandem Polemico, in animo habemus;
 Deus faxit ut feliciter!

Textus Authenticus.

Τὸς δὲ βεβήλους καὶ γραώδεις μύθους πα-
 ραιτῶν γυμναζε δὲ σεαυτὸν πρὸς εὐσέβειαν.

Ἡ γὰρ σωματικὴ γυμνασία πρὸς ὀλίγον
 εἰσὶν ὠφέλιμα. ἡ δὲ εὐσέβεια πρὸς πάντα ὠ-
 φελιμὸς εἰσὶν, ἐπαγγελίαν ἔχουσα ζωῆς τῆς
 νῦν καὶ τῆς μελλούσης.

Ver-

Versio Bezae.

*Cæterum profanas & aniles fabulas
rejice: sed exerce te ipsum ad pietatem:
Nam corporalis exercitatio paululum ha-
bet utilitatis; at pietas ad omnia utilis est,
ut quæ promissionem habeat vitæ præsen-
tis ac futuræ.*

Versio B. Lutheri.

Der Ungeistlichen aber und Altvettelischen
Fabeln entschlage dich / übe dich selbst aber an
der Gottseeligkeit.

Denn die leibliche Übung ist wenig nütze. U-
ber die Gottseeligkeit ist zu allen Dingen nütze/
und hat die Verheißung dieses und des zukünf-
tigen Lebens.

Punctum I. Philologicum.

§. I.

Latissimus quidem pateret campus discurrendi de oc-
casione & Argumento hujus Epistolæ Pauli prioris ad
Timotheum, de loco pariter unde scripta sit; sed cum ra-
tio instituti nostri aliud postulet, ἐν ἐπιτομῇ tantum,
secuti partim rationes firmas, partim quoque ductum & Au-
toritatem *inestimabilis Ecclesie Christianae Doctoris, B. Dn.
Calovii*, tribus ut ajunt verbis eadem attingemus, ne nihil
dixisse videamur.

§ II. Scripta nempe est hæc Epistola, (ut quidem subscriptio Græca ejusdem habet) Laodiceæ, quæ Metropolis est Phrygiæ Pacatianæ, quæ descriptione distinguitur à Laodiceâ ad Lycum fluvium sitâ, ubi Paulum nunquam fuisse, cum Ludovico Capello, hoc ipsum ex *Coloss. II. v. i.* adstruente in *App. ad Hist. Apost. p. m. 120.* consentimus.

§ III. Scripta est autem ad Timotheum Ephesi tunc temporis degentem, & si non Episcopi, (quod affirmantibus multis negat *B. Dn. Calovius in Bibl. Illustr. ad hanc Epist.*) certe tamen Ministri Ecclesiæ munere fungentem; ac proinde rectissimè TYPUS DOCTORIS ECCLESIASTICI dici potest, cum evidenter ostendat, quales debeant esse ministri Ecclesiæ in Doctrinâ precibus & vitâ cum familiis suis. Negandum tamen non est, multa quoque in eadem scripta esse, quæ non tantum ad Pastores, sed excepto nemine ad omnes pertineant, id quod & declarandus noster locus demonstrabit. Sed manum de tabula, cum potiora restent.

§ IV. Voces nimirum, si non singulas seorsim, potiores tamen quoad significationem pensitabimus, admoniti à *B. Dn. Chemnitio*, Theologo Incomparabili, qui Ecclesiam tantum Grammaticam esse debere innuit gravissimè *Part. 2. Loc. Theolog. p. 217.* hoc est, explicante ita se ipso, non debere eam fingere novas res aut nova dogmata gignere, sed ea, quæ à Spiritu S. tradita sunt, debere discere ex genuina significatione vocabulorum, quibus in tradendâ doctrinâ caelesti scriptura utitur. Ita, autem Textus noster habet: *Τὸς δὲ βεβήλους καὶ γεγαυθεὺς ὑβρίους παροίτι.* Sicuti verbis præcedentibus admonuit Timotheum Paulus, quid docendum in Ecclesia sit: ita hîc loci quæ vitanda sit doctrina monstrat, dum profanas & aniles fabulas rejiciendas esse docet. Vocabulum *βεβήλος*, quod à nonnullis ineptus redditur, melius per vocem *profanus* interpretatur Beza. Derivatur enim juxta Lexicographos à *βηλός*, limen, unde *βεβήλος πύλη* locus dicitur, cujus limen ingredi cuilibet fas est, ingredi autem in Fanum Gentilium impiis & impuris denegabatur, unde profanum porro vel pro-

procul à Fano, quod religiosissimum putabant, existens
 dicebatur; si itaq; remotò omni gentilismo & sejuncta im-
 puritate, Fanum, dictum à fando, vel etiam ἀπὸ τῆς Φανειῆς
 Phanum, eum dicimus locum, in quo purum Dei verbum
 prædicatur & manifestatur, omnium optimè huc quadrat
 ista significatio, cum fabulas istas intelligat Apostolus, quæ
 procul debēt esse ab Ecclesiæ Ministro, quoniā nullā Dei re-
 velatione nituntur; quas & aniles appellat i.e. absurdas, non
 minus quā illæ quas aniculae, (quæ Græcè dicuntur γρηῖαι,
 quasi γρηῖαι sicuti γρηῖός senex vir) puerulis recitant. His
 itaq; prædictis intelligitur facile, quid per vocabulum μῦ-
 θος indicetur; certè non verus sermo, qui idem ac λόγος
 est, quem in modum sæpissimè usurpatur à scriptoribus Græ-
 cis ut adeò frequens sit ista formula, sicutum apud Platonem,
 tum etiam apud Plutarchum & Lucianum: οὐκ ἐμός, ὁ μῦ-
 θος; *hic sermo meus non est*; Sed innuitur *fictus sermo*, verita-
 tem sive adumbras sive minus, quem per fabulā, non tamen
 propriè, quæ nihil aliud est quā familiare colloquium, sed
 Metaphoricè sic dictam, interpretamur. Aliam autem si-
 gnificationem hæc vox obtinet in Vet. Test. aliam in Novo.
 In illo significat Sarcasticum Diæterium in eos, quos punivit
 Deus propter malitiam suam; ut Deut. 28 v. 37. Ubi in fonti-
 bus reperitur מִן־פִּיךָ acutum dictum; in hoc autem si-
 gnificat traditiones & doctrinas ex Judaismo ortas, vel
 Gnosticorum fabulas &c. Ejusmodi autem fabulas πτε-
 ρεῖσθαι jubet Apostolus, quod verbum h. l. idem significat ac
 ἀποστρέφεισθαι; quo in sensu invenitur etiam 2. Tim. 4. v. 23.
 cum Apostolus, eidem Timotheo scribit; τὰς δὲ μωροὺς καὶ
 ἀπειθεῖς ζητῆσαι τὰς πτεροῦσ. Idemq; legitur Tit. 3. v. 10. cum
 Titum his verbis alloquitur Paulus; Αἰρετικὸν ἄνθρωπον πτε-
 ροῦσ, i.e. *rejice, aversare, repudia, devita*, ut nonnulli inter-
 pretantur. Quid verò h. l. propriè intelligat Apostolus per
fabulas istas, in varias abierunt sententias interpretes. Sta-
 tuunt quidam innui per istas doctrinam illam Pythagori-
 cam, πρὸς ψυχῶν μετασχηματισμῶσ; statuunt alii compre-
 hen-

hendere Apostolum his fabulis commenta judaica, quibus historia populi Israelitici involvebatur, & incertitudinis labe contaminabatur; intelligunt alii, quos citat *nunquam satis admirandus B. D. Calovius in Bibl. Illustr. ad b. l.* fabulas hæreticorum Simonianorum & aliorum de Rerum Creatione, de pugnis Angelorum, de Conjugiis Deorum &c: Sed hæc sola respici cum Beato Viro D. Calovio negamus; è contrario maximè ad novissima tempora quibus fabellæ Papicoliarum commentitiæ florent, hæc spectare censemus, de quibus infra in puncto Polemico fusius.

§. V. γυμναζε δὲ σαυτὸν πρὸς εὐσέβειαν. Regreditur Apostolus, & vicissim facienda demonstrat. Casu autem minimè adhibuit vocabulum γυμνάζειν; Sed ut eò majorem industriam in exercenda pietate adhibendam excitet. Nam propriè verbum γυμνάζειν significat exercere se in certamine vel Ludo Gymnico, *cujus septem species enumerat Hildebr. in Comp. Antiq. Rom.* quæ utiq; gravem laborem largumq; sudorem imperabant Athletis. Ac proinde translatum est hoc verbum ad omnia ea, quæ agendo addiscimus, dicimurq; & γυμνάζειν τὸ σῶμα apud Platonem in Legibus & γυμνάζειν τὴν ψυχὴν apud Isocratem; quod utrumq; Exercitium & corporis & animæ ita instituendum jubet Apostolus ut dirigatur ad verum Dei cultum, qui intelligitur per εὐσέβειαν, vi Etymologiæ, quia derivatur à verbo σέβειν *adorare*, quod propriè soli Deo convenit, & ad ejusdem cultum pertinet. Corporis autem exercitationes non penitus spernit Apostolus cum dicit: *ἡ γὰρ σωματικὴ γυμνασία πρὸς ὀλίγον ἐστὶν ὠφέλιμος*, sed ad parum utiles esse neglectâ pietate affirmat. Intelligit autem hîc per γυμνασία σωματικὴν neutiquam *Athletatum exercitia*, ut *Cornelius à Lapide* somniat, cum Apostoli non sit de istis quicquam præscribere Ministro Ecclesiæ, *sed ut Grotii explicatio sanior est, innuit abstinentiam à vino, Conjugio &c.* cui & assentitur *Lombardus*, qui citante sic *B. Calovio*, inquit: *Corporalis Exercitatio, in quæ te defatigas jejunando, vigilando, abstinendo, quæ sunt frena carnis, ad*
modi-

modicum est utilis, nisi his addatur Pietas; quibus adstipulatur Nicolaus Hemmingius Theologus Hafniensis, cum in Commentario ad Epistolam hanc ita scribit: Corporalis Exercitatio, si quid commodi affert, id sit propter internam animi Pietatem, neque enim inedia spontanea neque longa vigilia, neque cubationes asperiores per se quicquam valent, sed interdum non nihil sine superstitione adhibita, prodesse videntur, idque parum admodum, si conferantur cum verò Dei cultu.

§. VI. Η δὲ εὐσεβεία πρὸς πάντα ὠφελιμὸς ἐστίν, ἐπαγγελίαν ἔχουσα ζωῆς τῆς νῦν, καὶ τῆς μελλούσης. Quoniam ut Poëta canit gratis pœnitet esse probum, & juxta Epictetum ὅπῃ τὸ σύμφορον ἐκεῖ καὶ τὸ εὐσεβὲς sit, ostendit statim Paulus quanta ex Pietate dimanet utilitas, dum πρὸς πάντα, ad quævis quæ in vitâ humanâ occurrunt *utilem* esse, quin imò *perutilem* (ut Budæus vocabulum ὠφελίμῳ explicat) contendit; & hanc utilitatem longius extendit, si dicit quod Pietas *promissionem habeat vitæ præsentis & future*. Adhibet autem peculiarem Græcæ Lingvæ Idiotismum, quem & sacris & profanis scriptoribus familiarem invenimus. Adverbium enim Νῦν pro nomine Adjectivo ponit, atque ideo rectissimè per Adjectivum PRÆSENS explicatur à Beza, cum juxta Grammaticorum regulam; Adverbia sive sola, sive cum alio Nominis posita, vestita tamen Articulo pro Nominibus habeantur. Id quod vel alia quædam Sacri Codicis exempla probant: e gr. Matth. II. v. 23. Christus dicit: Ἐἰ ἐν Σοδόμοις ἐγένοντο αἱ δυνάμεις αἱ γενόμεναι ἐν σοί, καὶ περὶ ταῦτ' ἔμειναν ἄνυχοι τῆς σημεροῦν i.e. hodiernum usque diem. Et noster Apostolus eodem utitur Idiotismo Eph. 3. v. 16. cum interiorem hominem τὸν ἔσω ἄνθρωπον vocat. Exempla autem sine numero inveniuntur in profanis scriptoribus, quæ adduxisse supervacaneum statuimus; Sed ne quid dixisse, minus verò probasse videamur, unicum tantum ex L. I. Et hic. Aristotelis proferemus habet verò ita: ὁ μικρὸν τῶν ἐὼν παρεκβαίνων, εἰ μάλιστα ἂν ἄνθρωπος ἀπὸ τοῦ ἵσθιου ἀποστῆ, non statim reprehenditur quod omissis aliis, sufficere censemus.

§. VII.

§. VII. Restat verò, ut antequam concludamus hoc punctum, quid per *ἐπαγγελίαν* h. l. intelligat Apostolus explicemus. Intelligit sanè non *promissionem* aliquam meritis nostris consecutam vel adhuc consequendam, sed ex liberrima Dei voluntate & gratiâ proficiscentem, qui vitam æternam, (quæ per *μὴ ἀπολείπει* indicatur) iis, ex purâ misericordia *promisit*, quorum *Pietas* cum verâ fide conjuncta splendet. Sed hæc tantum tacta hîc loci, infra uberiùs explicata dabimus.

Punctum II. Didacticum.

§. I.

Tres præprimis Doctrinas *veram Pietatem* spectantes, duobus his versiculis complectitur Apostolus, quarum I. *Fabularum anilium aversionem* svadet; II. *Exercitationis Corporalis commodum exiguum*, è contrario III. *Pietatis ingentem utilitatem* ostendit; de tribus his doctrinis, tribus distinctis Paragraphis agemus.

§. II. Cum nimirum Fabulas aniles ideò, quia ad *veram Pietatem* non pertinent, rejiciendas esse svadet, nequaquam historiæ temporum cognitionem vult prohibitam, quantus enim ex istius notitiâ redundet fructus dici vix potest, cum ineffabilis meritò pronuncietur. Est enim Historia testis temporum, juxta Ciceronem, est Lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ. Quas ob causas quoq; Sapientissimi ac fortissimi quiq; & ipsi legerunt historias, & ipsorum lectionem commendarunt. Thucidides *Libr. 1. Belli Peloponn.* Historiam vocat *κτῆμα ἐς αἰεὶ συγκείμενον, καὶ καλὸν τῷ ἀνθρώπῳ βίῃ κατ' ὑπὲρ.* Gregorius Nazianzenus ipsam appellat *πολλῶν καὶ πάντων νόον*, cum quib; & Polybius consentit: Historiam *ἐτοιμοτάτην διόρθωσιν καὶ ἀληθινοτάτην παιδείαν* dicens. Quâ Historiarum utilitate moti Græci tanti fecerunt Historias Herodoti, ut eas in Ludis Olympicis quinto quoq; anno przlegerent. Et sanè Demosthenes nunquam Thucididem suâ manu octies descripsisset; nunquam Alexander M. Homerum Tro-

Trojani belli scriptorem in sinu per orbem terrarum dige-
stasset, & oculi instar consulisset; nunquam Alphonsus Ar-
ragonum Rex, Carolus V. & alii Serenissimi Principes, Histo-
ricos tam Græcos quàm Latinos vivis consiliariis suis prætu-
lissent, nisi insignem earum utilitatem cognovissent. Ac eâ-
dem utilitate motus Fridericus, Dux Saxonix & Elector, (te-
ste M. Georgio Draudio, Annot. in Sched. Reg. Agapeti) a-
deò historiæ studium curæ habuit, ut Epitomen historia-
rum omnium, in quâ series esset omnium temporum & Mo-
narchiarum, componi sibi curaverit, nec rarò dixerit: *Se su-
mere exinde de multis rebus documenta: cognitionemq; historiæ
necessariam & utilem esse, non modo Gubernatoribus, sed etiam ca-
teris hominibus omnibus.* Quid ergò de Ministris Ecclesiæ di-
cemus? His sanè Historiarum cognitio, si ad Doctrinam,
Commonefactionem, Dehortationem & Consolationem ad-
hibeatur ab iisdem, prohiberi nunquam potest, & ne fabellæ
quidem Poetarum improbantur, si eâdem ratione iisdem
utantur, parcè tamen ac dextrè usurpandæ sunt, ne cum po-
pulum docendi causâ ad munus suum vocati sint, tempus
sacris destinatum colloquiis, historiis, aliisque nunciis & effa-
niis fallant. Ab istarum autem usu, *Pietatis* veræ cultores
detractos vult Apostolus, quæ non tantum à verbo DEI alie-
næ, sed ipsi penitus contrariæ sunt. Hæ meritò pro Dæmo-
niorum doctrinâ habentur, quia mendaces sunt, & à Diabo-
lo omnis mendacii Patre oriuntur. Dum verò profanas &
aniles fabulas evitandas censet, eò magis historiæ sacræ stu-
dium implicite svadet, quod quanti fecerit, ex integro Capi-
te XI. Epistolæ ad Ebræos, (*quàm Pauli esse, firmis nitentes ra-
tionibus cum B. Calovio affirmamus,*) ubi vim & Efficaciam veræ
fidei ex Historiâ Sacrà Patriarcharum ostendit, cuilibet ad
oculum patebit. Et certè ex Historiâ istâ discimus, quæ ra-
tione Deus sibi collegerit Ecclesiam, quomodo gubernarit,
& conservarit istam ab orbe condito ad nostra usq; tempora,
quæq; humano generi contulerit beneficia; ubi, quomodo,
per quos salutarem de hominum salute doctrinam proponi
B cura-

curaverit; per quæ deniq; certamina fideles suos exercue-
rit. Hanc sanè Historiam meritò fontem consolationis di-
cere possumus, cum per illam de Auxilio divino, piis nun-
quam non præstito certi reddamur; stimulus Orationis de-
votæ nominanda; cum discamus ex eâ, quæ fuerint preces
sanctorum, & quomodo fuerint exauditæ. Unò verbò quan-
ta Historiæ hujus utilitas, tanta inutilitas fabularum à Paulo
prohibitaram. Nec enim ipsæ piæ sunt, nec ad pietatem &
adificationem Auditorum faciunt, sed imperitos tantùm
εὐμορφία verborum deliniunt.

§. III. Corporis Exercitationes, per quas jejunia &
alias corporis refrenationes intelligi diximus; parum uti-
les esse expressis quidem verbis indicat Paulus; interim ve-
rò earundem usum ordinarium *Pietatis* amatoribus non in-
terdicit. Hæ enim insignem quoq; in colendo Deo & ex-
ercenda Pietate afferunt fructum. Nam jejunia animum alunt
eidemq; robur addunt, & sicuti cibus corpori robur præstat; sic
jejunium vires animæ corroborat, suggerit cogitationes puras,
quibus ii, qui pluribus cibus distenti sunt vacare non possunt,
ut Chrysost. Homil. de Pœnit. testis est. Præterea jeju-
nium quoq; corpus edomat ne lascivum fiat, & leve red-
dit, ut aptius sit ad bellandum bellum illud spirituale;
multa insuper depellit vitia, cum juxta Chrysost. sit por-
tus, qui nos ab ebrietate præstet immunes, id quod mul-
tis exemplis Sacri Codicis diducere possem, si tempus
institutiq; ratio id permetteret. Pari autem modo vigi-
liæ quoq; aliæq; corporis refrenationes admodum utiles
sunt, si absq; opinione: meriti adhibeantur, parum uti-
les tamen sunt hominibus si respicias *Pietatem*, quæ &
sine istis insignem usum habet, præsentibus verò his
eò majorem & longè excellentiorem utilitatem pro-
mittit.

§. IV. *Pietatem* cum dicit Apostolus ad omnia utilem
esse

esse, non intelligit Pietatem in Patriam, Pietatem Libero-
rum erga Parentes; Parentum erga liberos & quæ ad hæc
pertinent Pietatis genera: Sed *Pietatem* erga Deum in ge-
nere, quatenus ea omnes suo complexu virtutes, ad Deum
& proximum relatas complectitur, cujus partes duas facit
Chrysoftomus, fidem nempe puram & vitam rectam. Hæc
Pietas aliàs dicitur Obedientia erga Deum, itē Observantia,
Cultus, Timor Dei, Servitus Dei ut *Luc. 1. v. 74.* Servitus san-
ctimonie *Rom. 6. v. 19.* Immaculata via hominis, *Job. 22. v. 3.*
Dicitur alias quoque Corona, ob ornatum, quem cultoribus
suis & coram Deo, & coram aliis addit. Corona autem hæc
non fit vacua, sed quatuor pretiosissimis gemmis fulgens.
Primus lapis est Carbunculus, cujus fulgor est tantus ut nec
nocte vincatur. Lucet enim in tenebris adeò, ut flammam
ad oculos vibret: Projectus in ignem velut inter mortuos
carbones extinguit, sed aqua perfusus exardescit. Ad-
hæc resistit hæc gemma & inimica est venenis ac toxicis, ut
ex Physicis constat. Et hic Carbunculus est vera fides, cu-
jus fulgor quoque tantus est, ut nec in tenebris hæreticorum
& persecutionum extingvatur. *Matth. 16. v. 15.* Insuper fi-
des quasi in ignem projicitur, si fidelis in peccatum morta-
le prolabitur, sed reviviscit, si homo poenitentiam agit &
Evangelii rore irrigatur. *Esa. 44. v. 3.* Tandem & fides vene-
nis hæresium est inimica, id quod de credentibus in se Chri-
stus affirmat. *Marc. 16. v. 17. seqq.* Secundus lapis fit Sap-
phirus, quæ gemma duritie insigni & cæruleo colore
prædita castitatem conservat, cor corroborat, in bonis con-
firmat, timorem expellit, vulnera sanat, & quæ virtutes ejus
aliæ in Physicis inveniuntur; quam gemmam Spem dicere
possumus, quæ cælestia intuetur, castitatem in fide tuetur,
animum confortat, metum ejicit, Christianum vegetat, for-
tem efficit, nec confundit. *Rom. 6. v. 5.* Tertium lapidem
Smaragdum dico, cujus viridis coloris gemmæ tantus est
nitor, ut nec in sole aliquo modo obumbretur. Corpus
ipsius si extensum fuerit & politum, speculi instar imagi-

nem reddit, quin & casta nominatur, cum in coitu frangi credatur, Scal. *Exercit. 33. Sect. 2.* Smaragdus Castitas est, quæ nullis illecebris aut titillatione obtegitur, quæ veluti speculum est in quo Deus cernitur. Quartum tandem lapidem Rubinum constituimus qui per tenebras in speciem scintillæ alicujus micat. Scal. *Exerc: l.c.* & hic Charitatē designat, quæ in calamitatibus ac miseriarum tenebris lucere debet, semperq; ardere, ut Christus hoc ipsum jubet *Matth. 5. v. 6.* His itaq; gemmis ornata Corona, his virtutib; comitata *Pietas* fulget, *Promissionē hujus vite* consequitur & ad omnia utilis est, tam ad ea, quæ ad Deum spectant quam quæ ad proximum. Similis enim *Pietas* aliquo modo est fluvio isti effluenti ex Eden & in quatuor flumina diviso, *Genes. 2. v. 10.* quorum primum ad Deum manans, Sanctitas merito dicitur, quam Deus seriō postulat, *Levit. 11. v. 44. & cap. 19. v. 2.* Sancti estote, inquit, nam ego Dominus Deus *Vester Sanctus sum.* Secundum ad hominum ipsum tendit & Humilitas appellari potest, quam Petrus commendat *I. Epist. cap. 5. v. 6.* Reliqua duo ad proximum fluunt, & quidem tum ad Amicum & dicitur Charitas, tum ad Inimicum & appellatur Placabilitas, quas virtutes Salvator ipse & *Matth. 5. & Job. 13.* præcepit. Utilis autem porrō sic comparata *Pietas* tum ad privata, tum ad publica. Hominem locupletat *Pietas*, commendat, nobilitat, quoniam *illa ipsa* homo Deum unicè spectat, seipsum accuratè observat, prompteq; juvat proximum. Et quid de his qui publico cuidam officio præfunt dicendum, his sanè quam utilis sit, exemplorum copiâ demonstrare possem, nisi ex sacris nota sint quàm maximè. Insuper & in fortuna hominum suum usum insignem habet *Pietas*, si enim secunda est, *illa ipsa* hominem ceu freno continet in officio ne dulci fortunâ ebrius exorbitet: sin adversa ingruat, *Pietas* cultores suos adversus quoslibet insultus tutos & immunes præbet. Quin & in præsentissimis vitæ periculis intrepidus reddit homines, ut extempore consilium

lium de amolienſis periculis capere poſſint. Comparatur enim Liliis aliisq; floribus ſvave olentibus, qui tum maxime ſuam ſpargunt fragrantiam, cum vento agitantur. Et ſicuti Thus tum majorem diffundit odorem cum in ignem eſt injectum; ſic *piorum* virtutes vel maxime in adverſis rebus eluceſcunt, & hominem premi quidem, nunquam tamen ſupprimi patiuntur. Tandem verò *Pietas* quoq; , ut Apoſtolus monet, habet *promiſſionem* non modo hujus ſed & futurae vitæ. Quanta verò utilitas vitæ æterna frui! Ibi enim homo videbit Deum ad voluntatem, habebit ad voluptatem, fruetur ad jucunditatem. In æternitate vigebit, in veritate fulgebit, in bonitate gaudebit. Et hoc ideo quia pii hæc in vita ſunt *bonæ arbores*, quæ propter bonos quos ferrunt fructus *benè* quoq; habentur ab agricolâ. *Pii* ſunt *Amici* Chriſti *Joh. 15. v. 14.* Congruum itaq; ut æternum cum *Amico* & *Fratre* ſuo vivant. *Pii* ſunt *membra* & *offa* Chriſti ideoq; ad *totum* ut referantur neceſſum eſt. Sunt *oves* Chriſti, non modo propter manſuetudinem quâ ſplendere debent, *2. Timoth. 2. verſ. 24.* Sed & propter patientiam & Obedientiam. Vocem enim Paſtoris Chriſti Jeſu audiunt ipſiq; obtemperant, *Johan. 10. verſ. 27.* patienterq; expectant uſq; dum Chriſtus ipſos tandem in regnum ſuum æternum, Angelis bonis, piisqve Chriſti Ovibus paratum introducat; Ubi teſte Auguſtino Soliloqv. Cap. 35. Gaudium erit ſuper gaudium, vincens omne gaudium, ſuper quod non erit gaudium. Et hæc de vera *Pietate*, & ejusdem *Promiſſione*.

PUNCT. III.

PUNCTUM III.
POLEMICUM.

S. I.

Restat adhuc, ut quibus dicta hæc sint maximè, brevibus pro more ostendamus; *Papiculis* nimirum aliisque *Fanaticis*, qui Sanam & sacram Doctrinam fabellis suis magnum in modum commaculant. Errant sanè & maximè errant *Pontificii*, qui non modò lectionem Sacri Codicis Laicis interdicut, quam tamen Deus expresse mandat, Apostoli inculcant, sancti usq; observârunt: sed etiam, cum verbum DEI prædicare debeant, fabellis suis auditorum animos detinent. Ejusmodi enim fabulæ tendunt eò, non ut auditorem informet, sed ut vel Autoritatem Romani Pontificis stabiliant, vel crumenas Papistarum repleant. Prioris generis est ista, quæ Papæ infallibilitatem adstruentes dicunt, *Pontifici R. è Cathedrâ definiendi competere judiciariam potestatem, illiusque definitionem in decidendis Religionis questionibus infallibilem esse.* Id quod Jesuitæ in Colloquio Ratisbonensi sententiam clarè dicere jussi sic exponunt: *Judex generalis, legitimus & ordinarius omnium Controversiarum, quæcumq; possunt oriri in negotio Religionis, est Pontifex Romanus, sive solus definiat aliquid, sive definiat cum Concilio generali. Iste Judex semper est infallibilis, quando ex Cathedrâ definit, ut Pontifex, nulli errori obnoxius, quam assertionem Bellarmini Libr. 4. de Rom. Pontif. cap. 1.*
alio-

aliorumq; citat B. D. Quenstedius *Secl. II. Part. I. cap. IV.*
Hoc. l. p. m. 159. eandemq; ceu fabellam inanem dicto loco
refutat.

§. II. Posterioris generis est figmentum illud de
Purgatorio, quod locum subterraneum inferno damnato-
rum vicinum dicunt Pontificii, in quo tanquam in carcere
post mortem fidelium animæ, quæ in hac vitâ non plenè
fuerunt purgatæ, sed vel obstrictæ adhuc reatu alicujus
temporalis pœnæ, vel onustæ aliquibus peccatis veniali-
bus ex corporibus migrarunt, cruciantur pœna exquisi-
tissima & Infernali, non tamen æternâ, ut nimirum à reli-
quiis sordium expurgatæ, in cœlum intromittantur ac
æternâ beatitudine fruantur. Hoc verò eò fine finxe-
runt, ut amici simul ac consanguinei mortuorum relictæ
pecuniam ipsis afferant, quâ etiam paratâ spondent, se
pro iis oraturos, ut eò citius ex hoc carcere avocentur, &
in Beatorum $\pi\sigma$ collocentur. Sed mera fabula est & ani-
le figmentum quæstus causâ fictum.

§. III. His verò & aliæ annumerari possunt fabulæ
Pontificiorum, utpote de Apparitionibus spirituum, de
Traditionibus & Revelationibus, de Exorcismis & conse-
crationibus variis, de Invocationibus, de Misfis diversis-
simis, de miraculis fictitiis, de Indulgentiis & id genus aliis
figmentis, quibus Papatus est repletus. Hæc sunt $\beta\acute{\epsilon}\beta\eta\lambda\omicron\iota$
 $\kappa\alpha\iota$ $\chi\epsilon\alpha\acute{\iota}\delta\epsilon\iota\varsigma$ $\mu\acute{\upsilon}\theta\omicron\iota$, quos prohibet Apostolus & meritò, quia
non modo nulla revelatione nituntur, sed cum revelatio-
ne divina adversa fronte pugnant.

§. IV. Fabulis verò ejusmodi non tantum Ecclesia
Romana, sed ipsa quoq; Lutheranorum Catholica referta
est, quippe in quâ nonnulli inveniuntur, qui aliquibus Pon-
tifi-

tificiorum, & Calvinianorum assentiunt, regnumq; ali-
quod futurum statuunt, vitamq; omnibus & spiritualibus
& corporalibus delitiis affluentem, quos Chiliaftas ab
annorum numero, per quos duraturum hoc Regnum af-
firmant, cum aliis appellamus, quibus annumerandi
sunt & alii Fanatici, qui nescio quas apparitiones & reve-
lationes fingunt & pro veris vendunt.

§. V. Dictum autem Apostolo est quoq; iis, qui
corporalibus Exercitationibus nimium tribuunt, quales
tempore Apostoli Pharisei erant, qui ad ostentandum se-
se jejuniis utebantur, *Matth. 6. v. 16.* Vitiosum autem hoc
erat, quia non tantum ob necessitatis, meriti & cultus o-
pinionem, sed etiam ob humanæ gloriæ captationem in-
stituebatur *Luc. 18. v. 12.* & ideò ad parum utile jejunium.
Et ejusmodi quoq; est jejunium Pontificiorum Quadrage-
simale, quod quadraginta diebus ante Pascha suscipitur,
quod quidem Exercitium corporis ratione commessatio-
nis potius dici potest, quam ratione jejunii; à carnibus e-
nim abstinentes, lautioribus piscium generibus vescun-
tur, viniq; copià gaudent, adeoq; ut & Hieronymus de
sua ætatis moribus conqueritur, *cum Deo ludere viden-
tur.* Quamvis itaq; hoc ita dictum jejunium, nihil
minus quàm jejunium sit, cum tamen tam sanctè sit præ-
ceptum in Papatu, & opinione meriti receptum, opti-
me jure inter hæc corporis exercitia ad parum utilia re-
censetur. Quanti verò Papistæ id faciant videri po-
test ex Decreto Pontificis per Concilium Toletanum
anno 653. (referent Cardinali Baronio ad illum annum,
Num. 3.)

Num. 3.) definentis: Quisquis absq; inevitabili necessitate, & fragilitatis evidenti langvore, seu etiam ætatis impossibilitate diebus Quadragesimæ esum carniū præsumpserit attendere, non solum reus erit Resurrectionis Dominicæ, verum etiam alienus ab ejusdem diei sanctæ communicatione. Ex quibus Opinio Pontificiorum satis superq; constat.

§. VI. Sed hæc de jejuniis; eadem autem est ratio reliquarum corporis Exercitationum Pontificiorum, quales sunt: Castigatio corporis, peregrinationes ad Divorum sepulcha, templa statuas &c: Vigilia, calibatus, & id genus aliæ, quæ opinione cultus factæ ut parum utiles rejiciuntur.

§. VII. Ridendus autem, vel potius deplorandus est error Anabaptistarum, modernorumq; Fanaticorum, qui singularem Pietatis partem esse contendunt, componere vultum ad austeritatem, raro loqui, vestitu simplici ingredi, non demerere barbam & quæ sunt aliæ ejusmodi deliramenta. Qui mos est Hypocritarum, quem Christus variis in locis Nov. Test. depingit.

§. VIII. Adversus ejusmodi Hypocritas loquitur Admonitio Paulina: *γυμναζε δε σιαυτον οπως ιουσιβουαι*; Hi enim non exercent se in Pietate, ita ut exercitium hoc aliæ virtutes sequantur, sed exercitium ponunt

C

6

in *Unguentis*, quæ ducti nil spectant nisi reverentiam
honoris & gloriam laudis humanæ, ut à melioribus
metuantur, sanctiq; ab omnibus vocentur. DEO qui-
dem appropinquant sed ore, non verò corde *Esa. 29.*
vers. 13. longas preces prætendunt, sed sine fiducia.
Matth. 23. vers. 14. Eleemosynas ostentant. *Matth. 6.*
v. 1. seqq. Mellita verba proferunt *Matth. 22. v. 16.* Di-
cunt sed non faciunt *Matth. 23. v. 3.* utuntur sacramentis,
sine ullâ tamen pœnitentiâ, & ita nomen habere volunt
quod piè vivant, & tamen mortui sunt. *Apocal. 3. vers. 1.*

§. IX. Sed ad Pontificios revertentes, admone-
mur à B. D. Hunnio *in comment. ad h. l. p. m. 156.* quod
isti justificationem operum ex hoc loco extorquere co-
nentur, quos laudatissimus Ecclesiæ Doctor verbis se-
quentibus refutat: *Non, inquit, quod toti respectu
unius vel alterius partis competit, id confestim
quoq; cæteris partibus adscribendum est. Sunt
Pietatis partes complures, inter quas & nova
obedientia, studiumq; bonorum operum continen-
tur. Quod autem dicitur habere vitæ æternæ
promissionem, Synecdochicè dicitur respectu salvi-
ficæ agnitionis Dei, quæ fides nuncupatur. Quan-
quam nec cæteris partibus ejus sua desit remune-
ratio (gratuita tamen) etiam in vitâ beatâ. Quo
respectu atq; sensu particula de promissione futu-
ræ vitæ non absurde ad novæ obedientiæ studium
etiam accommodatur, hoc tamen discrimine, ut
ipsa*

ipsa per se vita aeterna non proveniat nobis ex ul-
lis operibus, ne quidem post regenerationem editis,
sed sit, maneatque Domum Dei per Christum Je-
sum, Dominum nostrum, Rom. 6. Eph. 2. Bona
verò opera IN VITA beata coronentur à Deo &
pensentur aeternis præmiis, in gloria differentia,
(cujus Paulus I. Cor. 15. meminit) consideratis. Huc
usque Beatus Vir. Exinde verò perspicimus, quam falsi
sint Bellarminns, Gregorius de Valentia & Alii, qui Pie-
tatem, per quam bona opera tantum intelligunt, mere-
ri vitam aeternam ex condigno, dicunt.

§. X. Tandem & hoc Atheis & profanis hominibus
dictum est, qui *Pietatem* carere præmiò statuunt, &
cum contemptoribus istis *Malach. 3. vers. 14.* depinctis
exclamant: Frustraneum est, ut Deo serviamus, & cui
bono, licet ipsius præcepta observemus? Quin imò qui
non tantum *Pietatem* ipsam averfantur sed ejusdem quo-
que cultores pro stultis habent, *Sap. 5. v. 4.* His id Apo-
stoli dictum est, ut reputent, quantum *Pietatis* studium
sequatur præmium, ne tandem aliquando id contingat
ipsis, de quo ejusmodi contemptores loco citato *Sap. 5.*
v. 4. seqq. conqueruntur.

§. XI. Ita brevibus pro instituto de vera *Pietate*
ejusdemque promissione egimus. Coronidis ergò loco id
adjiciemus, quod nimirum isti, qui juxta admonitionem
Pauli, rejectis anilibus fabulis, hypocriticis fucis aliisque
exercitiis, opinione meriti institutis, pii sunt, vel potius

Pietati ex verâ fide vitaq; rectâ constanti student, verissi-
mè dici possint *Pietistæ*, non quidem eâ ratione, qua tri-
buitur nomen hoc istis, qui pii videri volunt, sanam verò
doctrinam anilibus suis fabulis, aliisq; scripturæ sacræ
contrariis assertionibus contaminant. Hi siquidem non
reales, sed nominales, non spirituales, sed morales, non ge-
nuini, sed adulterini sunt Pietistæ. Deum verò Patrem
Domini nostri Jesu Christi invocamus ardentè, ut Ec-
clesiam suam ab ejusmodi Fanaticis immunem reddere,
illamq; ad consummationem usq; seculi immaculatam
conservare velit; Cui sit Laus, Honor & Gloria in sempit-
erna secula!

TANTUM!

COROLLARIA.

- I. Pietatis Veræ præcipuam curam habere decet,
quàm non immeritò Virtutum Parentem no-
minant. Hæc enim omnium virtutum Princi-
pium & finis est, inquit Gregorius.
- II. Pietas vera autem maximè versatur in animis
nostris, cum rebus divinis operam damus, ut
Cic. 2 de Legibus id affirmat.
- III. Fundamentum perpetuæ commendationis &
famæ meritò quoque Pietas Vera dici potest,
quippe sine qua nihil potest esse laudabile.
- IV. Pietatis genuinæ promissio quasvis alias pro-
missiones vincit Excellentiam, cum præter tem-
poralis, æternæ quoq; felicitatis fruitionem
polliceatur.



Fragment of text from the adjacent page, including characters like 's', 'it', '&', 'm', and 'n'.

05 A 453

ULB Halle 3
004 209 028




1017

21h







I. N. J.
DISPUTATIO PHILOLOGICO-THEOLOGICA,
DE
VERA PIETATE
Ejusdemq; PROMISSIONE,

EX I. TIM. IV. v. 7. & 8.

Quam
PRÆSIDE

Rectore Academiæ Magnifico,
*VIRO Summè Reverendo, Amplissimo atq;
Excellentissimo,*

DN. JOH: Deutſchmann /
SS. Theol. Doct. Ejusdemq; Prof. Publ. Prim.
longè celeberrimo, Theol. Fac. SENIORE, maximè Vene-
rando, & Alumn. Elect. EPHORO Gravisimo.

**DN. PATRONO, PRAECEPTORE, Hospite ac Studio-
rum suorum PROMOTORE, obsequiosissimo cultu
atq; atè devenerando,**

Publicæ Eruditorum συζητήσεις subjiciet,
Ad diem IV. Novemb. An. M DC XCII.

IN AUDITORIO MAJORI,
AUCTOR

M. CHRISTOPHORUS HEINSIUS,
Numburgô ad Salam.

WITTENBERGÆ, prelô JO. WILCKII.